



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

237. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

alia, ut diximus, non impedierit ratio.

De eadem re. *Ex Concilio Triburienfi.*

CCXXXVII. Relatum est auribus sanctorum sacerdotum quendam alterius uxorem stupro violasse, insuper & mœchæ vivente viro suo juramentum dedisse ut post legitimi mariti mortem, si supervixisset, duceret in uxorem, quod & factum est. Tale igitur concubium prohibemus & anathematizamus.

Concil. Tribur. c. 40.
Burchard. 1 b.
9. c. 66.

Invocatio de morte mariti vel uxoris.

CCXXXVIII. De hoc quod tu accusata es in præsentia istius Episcopi, in hac synodo, quod per tuum factum & per tuum consilium tuus maritus illius vel tua conjux illius mortem recepisset, & vitam perdidisset, omnino non est ita, nec tu in ejus vita aut membris quicquam fecisti aut cum aliis consiliatus es unde merito secundum ecclesiasticum judicium pœnitentiæ remedia suscipias, aut secundum mundanam legem mortem aut aliquod damnum sustineas. Sic te Deus adjuvet ad istud judicium.

Juramentum vel invocatio de homicidio imputato.

CCXXXIX. De hoc quod tibi imputatum est in præsentia tui Episcopi, cujus paræchianus es, quod tu illum hominem cum aliis hominibus sequacibus tuis occidisses propter hanc causam ut bona illius diriperes, & ejus uxorem tibi in matrimonium sociares, in veritate non est ita, nec tu solus nec cum